

- tebatur, nobile hoc Elogium meruerat, ut inter eos numeraretur, qui tradidissent animas suas pro nomine Christi. *Act. 15. 26.* Quod autem in *εὐαγγελιστῶν* in Libris nonnullis adjungatur ipsis quos Paulus miserat ad Corinthios, Timotheus; illud plane per errorem accidit, natum ex eo quod in hac Epistola dicitur, *ἐπιμεψα ὑμῶν Τιμόθεον*, Cap. 4. v. 17. Miserat enim Apoitolum Timotheum & Erastum in Macedoniam^a, (adeoque & in Achaiam) ante scriptam hanc Epistolam. Hi autem, cum mitteretur hæc ad Corinthios, nondum redierant, imo nec Corinthum adhuc forte appulerant^b: Paulus autem, ubi negotium peregisset, se expectare illum dicit *μὲ τῶν ἀδελφῶν*. Cap. 16. v. 11.
- 14 Ad Epistolæ hujus auctoritatem quod spectat, certe una ex iis est, in quibus D. Paulus officium sibi à Deo concredidit sat multis prædicat. Sermonem suum fuisse dicit *ἐν δακτύλοις Πνεύματος καὶ δυνάμεως*, cap. 2. v. 4. Locutum se *σοφίαν θεοῦ ἐν μυστηρίῳ*, v. 7. ea quæ Deus Ipsi revelavit per Spiritum, v. 10. Non accepisse se *Spiritum mundi*, sed *Spiritum, qui est ex Deo*, v. 12. locutum se *ἐν διδακτοῖς Πνεύματος ἁγίου*, v. 13. Qualia autem ista! *Non sum Apostolus? nonne Christum Dominum nostrum vidi? nonne opus meum vos estis in Domino?* cap. 9. 1, 2. *Ego accepi à Domino, quod et tradidi vobis*, cap. 11. v. 23. *Tradidi vobis in primis, quod et accepi* (à Domino sc.) cap. 15. v. 3. Et quidem adhuc, si fieri potest, luculentius: *Si quis videtur Propheta esse, aut Spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis, quia Domini sunt mandata*, cap. 14. v. 37. Quibus verbis, non solummodo in genere auctoritatem Prædicationis suæ, sed & hujus speciatim Epistolæ expressissime asserit. Ne dicam, quod hæc sit inter Epistolas Pauli, quæ *δουλοῦντα* quædam continent à D. Petro memorata, 2 Epist. c. 3. v. 16. Ea dico quæ innuunt prope instare Christi adventum ad judicium. De *ἀποκαλύψεις τῶ κυρίου* loquitur, c. 1. v. 7. quam Corinthii, ex ejus doctrina scilicet, opperiebantur. *καιρὸν συνιστάμενον* ait, ac *προφύγειν τὸ ἔκρημα τῆ ὄσμης*, c. 7. v. 29, 31. Corinthios hos ex iis esse, in quos *finis Seculorum devenerunt*, c. 10. 11. Imo vero dubitantibus iis (eorum certe nonnullis) ob adventus Christi, quem repentinum fore crediderunt, tarditatem, de Resurrectione, an usquam futura esset, aperuit Mysterium, c. 15. v. 51. *πάντες ἢ ὀψιμῶς ἢ πρόωκα*, πάντες ἢ ἀποκαλυφόμεθα &c. Neque vero prætereunda hic D. Clementis sententia de hac Epistola, eam sc. *ἐκ ἀληθείας πνευματικῶς* fuisse dictatam^c.
- 15 Unum certe illud obstat his quæ diximus, quod Capite septimo distinguat Apostolus ea quæ privata sua sententia proponit, ab iis quæ profert *κατ' ἐπιταγῶν*, seu expressio Dei mandato. Iis qui matrimonio juncti sunt, inquit, præcipio non *Ego*, sed *Dominus*, v. 10. Cæteris ego dico, non *Dominus*, v. 12. De Virginibus Præceptum *Domini* non habeo, *consilium* autem do, v. 25. Et in fine Capitis, cum de viduali castitate *γυμνῶν* suam exposuisset, subdit, *δοκῶ ἢ κατὰ Πνεῦμα θεοῦ ἔχων*: ceu haud prorsus certus de sua in hoc quod jam præceperat, *θεοπροψία*. Ex dictis sane haud obscure colligi videatur, in Epist. hæc nonnulla saltem humani duntaxat ingenii esse, humanæ auctoritatis. Verum ex perperam intellectis Apostoli verbis orta est hæc opinio. Res omnino ita se habet. Dominus noster de pluribus quidem rebus diferta Apostolis dedit mandata: de aliis vero aut nihil plane, aut saltem generaliter sine specialibus circumstantiis locutus est; vel quod tum præsens occasio haud tulerit, aut necessitas non exegerit, vel quod Apostoli, ob imbecillitatem, doctrinæ istius haud capaces essent, donec virtute Spiritus ex alto induerentur. Sic enim Christus, *Joan. 16. 12, 13.* *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem.* Ista, quæ Christus clarissimis expresseerat verbis, *Domini* dicebantur *mandata*: quæ vero Apostoli ex dictamine Spiritus S. in Ecclesiis credenda docebant, vel agenda mandabant, non Christo, sed ejus Vicario, quem vocat Tertullianus, Spiritui Sancto, inquam, adscribebantur. Patet hoc ex articulo de Vocatione gentium per Evangelium, harumque à jugo Legis Mosaicæ immunitate. Utrumque Christus ante resurrectionem, imo hanc & post eam celaverat: unde Petrus religioni ducebat ad gentes intrare, & una cum ipso Apostoli omnes in solemnem Synodo considerandum sumebant, utrum Gentiles ad fidem conversi Legem Mosaicam observare tenerentur, necne. Id quod neutiquam factum esset, si

expressam Christi sententiam hac de re habuissent. Instruebat vero Apostolos in utroque Spiritus Sanctus, ut scirent quæ in his esset Dei voluntas. Hinc Paulus mysterium Vocationis gentium per Evangelium dicit *nunc Apostolis revelatum ἐν Πνεύματι*, *Eph. 3. 5.* & Apostoli in Epistola Synodica ad Ecclesias, *ἰδοὺ*, inquit, *ἁγίῳ Πνεύματι καὶ ἡμῶν*, *Act. 15. 28.* Unde Decreta de gentibus ab observatione Legis Mosaicæ (excepta abstinentia ab esu Idolothytorum, sanguinis ac suffocatorum, & à fornicatione) liberandis, appellantur dogmata *καπερὲν ἐστὶν ἡ ἀπόστολος*, nusquam autem *δὸγματα κυρίου* quoniam de his Christus nihil dixerat. Utcumque vero aliqua dictarat ipse Christus, alia postmodum Spiritus S. tamen & hæc quæ Spiritus S. Apostolis fugerebat, Divinæ erant auctoritatis, perinde ac ea quæ Christus ipso docuerat. Unde & ipsa *mandata Domini* dicta sunt, sensu laxiori. Nam uti filius Dei nihil locutus est, nisi quod audiverat à Patre^d, ita & Spiritus S. non à semet ipso loquebatur, sed quæcunque audiebat loquebatur, & quæ à Christo accipiebat, annunciabat. *Joan. 16. 13, 14.* His prænotatis, in aperto jam est Apostoli nostri sententia. Cum in hoc Capite præcepta quædam ab *ἐπιταγῆ* Domini distinguat, non intelligit præcepta ex suo ingenio excogitata, sed hujusmodi quæ immediate acceperit à divino Spiritu, non autem à Christo ipso. Sic v. 10. dicit non *se*, sed *Dominum* præcipere, ut uxor à viro non discedat: nempe Christus ipse hoc expresse docuerat^e. Contra, v. 12. ait *se*, non *Dominum* dicere ne fidelis infidelem uxorem dimittat. recte: neque enim à Domino ipso expresse declaratum erat, quid in isto casu faciendum esset, sed in genere solum prohibitum erat divortium: quod generale Servatoris nostri interdictum Apostolus, Spiritu divino ductus utique, ad conjugium fidelis cum infideli applicabat. Similiter v. 25. de virginibus ait quidem, se præceptum *Domini* non habere, sed sententiam suam dicere, seu consilium dare; ut & de viduis, v. 40. beatiores fore si sic permanerint, secundum ipsius consilium. Scilicet ab ipso Servatore strictum his de rebus mandatum, quo fideles obligati essent, haud acceperat, quale de S. Eucharistia se accepisse scribit, Cap. 11. hujus Epistolæ: sed tamen sententiam suam dixisse, ex dictamine Sancti Spiritus. Neque enim illud, *δοκῶ ἢ κατὰ Πνεῦμα θεοῦ ἔχων*, dubitantis est de inspiratione sua & auctoritate, (quam supra tantopere prædicarat) sed eam omnino adferentis. In eundem sensum sumitur *δοκῶ*, Cap. 4. v. 9. hujus Epistolæ.

Paulo post scriptam hanc Epistolam, *Epist. II. ad Cor. 20* accidit tumultus Demetrii apud Ephesios: quo sedato, Paulus Discipulis ad Eum congregatis valedicens, profectus est in *Macedoniam. Act. 20. 1.* Nimirum olim ei animus fuerat, primum quidem Corinthios visere, tum vero ab his deduci in Macedoniam, ac postea à Macedonibus denuo venire ad ipsos, ac ab iis deduci in Judæam. *2 Cor. 1. 15, 16.* Hoc primum in animo. Postea vero, mutatis rationibus, proponit sibi (quod & Corinthiis istis significatum dedit, *1 Cor. 16. 5.*) se primum visurum fore Macedonas, ac tum Corinthios, ac apud eos hymaturum, v. 6. Distulisse vero se posteriorem hunc adventum per aliquod tempus, *φειδομένον αὐτῶν*, seu ut poenitendi spatium daret transgressoribus. *2 Cor. 1. 23.* Neque enim venire voluisse ad ipsos cum tristitia: c. 2. v. 1. Eamque ob causam de expurganda Ecclesia à fœdo incestuosi consortio præceptum in Epistola priori dedisse, quo tristitiæ, cum veniret, (incestuoso præsertim ex ista severitate ad poenitentiam ducto) materiam omnem præcideret. c. 2. v. 3. In hunc quem dixi modum animatus D. Paulus, Epheso profectus est Troadem. huc enim venisse se prius quam profectus esset ad Macedonas, testatur ipse, *2 Cor. 2. 12.* Exigua mora, propter absentiam Titi *συνηγῆ*, illic facta, inde transit in Macedoniam. *2 Cor. 2. 13. Act. 20. 1.* Præmiserat autem Apostolus, dum Ephesi ageret, Titum cum alio fratre (Sila scilicet) ad Corinthios, reliquasque Achaiæ partes, ad promovendas collectas, pro sublevatione Sanctorum Pauperum qui versabantur Hierosolymis, *2 Cor. 7. 6, 7.* collat. cum c. 8. v. 6. 7. qui *χάριον* istam *ἀποστολῆς*, rerumque in Ecclesia Corinthiaca gestarum notitiam plenam adeptus, venit in Macedoniam ad Paulum. Mox autem ab ipsius adventu, apud Macedonas, & quidem in urbe ipsorum primaria, *Philippis*, (quod & ferunt MSS. Codicum *εὐαγγελιστῶν*) scrip-

^a *Act. 19. 22.* ^b *Ἐὰν ἢ ἄλλῃ Τιμόθεῳ &c. 1. Cor. 16. 10.* ^c *Epist. 1. 5. 47.* ^d *Joan. cap. 8, 12, 15, &c.* ^e *Mat. 5. 32. & 19. 9. Luc. 16. 18.*